Michaël Mekelburg.

DISPUTATIONEM

PROBLEMATUM MEDICO-PHYSICORUM

AUXILIANTE NUMINE DIVINO

SUB PRÆSIDIO

Excellentissimi Clarissimi Experientissimi

DN. JOHANNIS LÖSELII

Philos. & Med. Doctoris, Pr. P. Fautoris ac Præceptoris honorandi,

Respondens

REINHOLDUS DEHN

habebit publicè

In

Auditorio majori

Ad diem XXVII. *Septemb.*

REGIOMONTI

Prelo REUSNERIANO, MDCXLI.

VIRO

CLARISSIMO EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

DN. CHRISTOPHORO TINCTORIO Philosoph. ac Medicin. Doctori ac P. P. Medicæ Facult. Decano Spectabili, Fautori, Præceptori, ac Promotori colendissimo,

Ut Et

VIRO

AMPLISSIMO CONSULTISSIMO PRUDENTISSIMO

DN. MICHAELI DEHN, Reipubl. Cniphovian. Senatori, Patruo Omni honoris cultu prosequendo,

D. D.

Autor & Respondens.

Problema I.

AN diſtinguantur inter ſe, in eodem ſubjecto temperamentum mixti & temperamentum viventis? Aff. Quia 1. integro mixti temperamento, viventis temperamentum multum immutari poteſt: probant hoc Lues Venerea, Scorbutus, & mala peſtilentialia. 2. Effecta toto diſtant genere: ventriculus chylificat, hepar ſanguificat, cerebrum ſentit, non tam à temperamento mixti, quàm viventis.

II.

An temporum mutationes morbos pariant? Aff. Inprimis ubi eorũ maximè anomalia eſt: quippe magna cæleſtiũ vis (à quâ aliàs tempora variantur) in mundum ſublunarem: videmus commodiorem ſolem noſtras reficere vires, quem ſi auſterius frigus infregerit, marceſcunt cum corporis damno. Hinc pro humorum vitio, cui corrigendo impares, varii morbi, febres, catarrhi, pleu-

 riti-

ritides, anginæ epidemiæ. Et si fortè adhuc anomaliæ accesserint, ex præcipiti corporibus morbosa incubant mala, satis ex ferali sæpius experientiâ nota.

III.

An senectus medicâ possit retardari operâ? Distingv. inter subjectum vitæ prodigum, & inter illud quod sibi à nocivis temperat: prodigum omninò opera levare medica potest, ne suum præcipitet fatum, partim inhibendo nocituram cum qualitate assumendorum molem; partim abducendo debitis medicamentis, quod prius in corpore vitiosè collectum; partim roborando defatigatas à mole vires, quæ postea se defendant contra adventurum hostem. Subjectum quod se debitæ diætæ pro vitæ conditione componit, nulla levabunt medicamenta, quocunq; etiam veniant nomine: destinavit namq; DEUS cum naturâ certam mansuræ vitæ periodum, quam inferior medicamentorum vis proferre nunquam poterit, nisi in DEUM & naturam injurii, impunè medicamentum ultrà vires plus conferre voluerimus.

IV.

An novæ morborum species ab insolenti astrorum aspectu? Duplici modo astra agunt in hunc

hunc ſublunarem mundum: altero modo manifeſto, calefaciendo, ſiccando, humectando, refrigerando: altero modo occulto. In manifeſtum non inquiſituri, tantum de occulto erimus ſolliciti, arbitrantes, non abſonum fore, inſolentibus & maleficis effluviis novos cauſari morbos aſtra. Nam dum aſtra in corpus noſtrum agunt malignè, quid miri, ſi novam p. n. corpori imprimant διάθεσιν? & ſæpius lethali notantur eventu mala, quorum origo virulenta aſtrorum conſtitutio. Nec putamus delinquere eos, qui morborum multorum ortum aſtrorum aſpectibus acceptum referunt.

V.

An in Scorbuto μοχλικὰ καθαρτικὰ fugienda? Aff. Quia vehementioribus medicamentis magis materia fermentatur, & hinc impetuoſior ſymptomatum impetus, & non rarò lethalis. Inſuper ut plurimum cum Scorbuto ἔμφραξις conjuncta, in quâ nunquam draſtica adhibenda, ſed ut per ἐπίκρασιν materia tollatur, medendi poſtulat æqua methodus.

VI.

An Chaldæorum Climacterici anni malum ſemper importent? Aff: ut plurimum: experientiâ enim obſervatum, iis annis multum deceſ-

ſiſſe corporibus. Qui fiat, opinari licet, ſi res non undequaq; eruta fortè, ſcilicet ſingulis ſeptenis tales fieri aſtrorum aſpectus, Deo ſic ordinante, quorum vi corpora, ſi non robuſtiora, præcipitantur.

VII.

An ex argento, auro, ſtanno, poſſit Mercurius vivus educi ſine Mercurii vivi additamento? Neg. Metalla enim habent omnium principiorum firmam unionem, ideoq; quò ſingula principia ſingulorum metallorum extrahantur, requiruntur analoga ſubſidia: nam quodlibet non agit in quodlibet, ſed in ſuum analogum: actio enim omnis fundatur in ſimilitudine. Hinc eruditiores chymici quò Mercurium educant, quem arbitrantur metallis proprium, poſcunt Mercurium, ſive ejus ſublimatum, eo fine, quò Mercurius aſſimilando ſibi Mercurium metalli ob convenientiam eliciat è metalli corpore. Unde ſatis culpanda illorum Thraſonica gloriola, nullo innixa fundamento & experientia, qui turpiter jactant ſe poſſe ex Lunâ Mercurium educere & brevioris temporis ſpatio ſine Mercurii ope. Videant tantum modum: Mercurius metallorum firmiter aliis metallicis principiis unitus, quî ergò ſeparari poteſt? ſeipſum non expellet; aliàs

in seipsum contrarius, quod absurdum. Ergò requiritur aliquid à quo trahatur; at à nullo trahi potest, nisi ab eo qvod sibi simile, & illud ipsum Mercurius est.

IIX.

An is verè Lunæ Mercurius qui sublimato mediante extrahitur ex Luna? Neg. Quia perperàm arbitrantur alii, metallorum Mercurium etiam esse currentem, cum planè alterius sit sortis, quàm vulgare argentum vivum, adeoq; Mercurius, qui sæpius monstratur, non tam metallorum est, quàm ille ipse Mercurius qui addebatur.

IX.

An subjectum somni sit cor? Neg. Qvia in continuo est motu, adeoq; perperàm illi somnus adscribitur: Neq; hîc excogitandum fuerit peculiare aliquod principium in corde sensitivum, quod vitali ac mobili nunquam cessante, ipsum quandoq; cessat: gratis enim hoc cordi adscribitur, quod illi inesse nemo facilè demonstrabit.

X.

An objectum somni sint sensus, communis & exteriores, absq; locomotiva? Neg. cum enim somni causa proxima sit, denegatus spirituum ani-

um animalium influxus, & major Spirituum animalium copia (nemine contradicente) ad locomotivam, quam ad sensitivam requiratur facultatem, consequi videtur illud, argumento ducto à minori ad majus: Si illa facultas, quæ non ita multorum spirituum indiget operâ, nempe sensitiva, quiescit in somno, deficiente spirituum ministerio, multo magis illa facultas, quæ longè plures requirit spiritus, locomotiva nimirum deficiet, ubi quò plures adesse debebant spiritus, eò plures desunt.

XI.

An somnus fiat rerum frigidarum culpa? Neg: Quia omnia Narcotica sunt vehementissimi caloris, nihilominus somnum etiam profundum inducunt: probant Opium Spiritus vini & alia. Hinc certò liquet frigiditatem non facere ad somnum, adeoq; putamus somnum pendere à vi quadam sulphurea, ligante spiritus animales, ne suis illabantur sensoriis.

XII.

An orificium Ventriculi sinistrum sit appetitus animalis destinata sedes? Aff. Quià 1. hujus Orificii acerrimus sensus, qui oritur à nervis stomachicis: 2. Orificio malè affecto pinguiore humore aliove vitioso, appetitus vel immuta-

mutatur vel depravatur: item acido humore inquinato, is affectus oriri solet, qui dicitur ὄρεξις κυνώδης. Orificio autem bene se habente appetitus, cætera si paria fuerint, bene succedit.

XIII.

An Clysteres usq; ad ventriculum deferri potuerint? Disting. inter motum peristalticum naturalem & p. n. Ubi est naturalis, nunquam fieri poterit: in motu περισαλτικῷ p.n. Clysteres ad ventriculum detrudi posse nil obstat.

XIV.

An humor crystallinus sit subjectum immediatum visus? Neg. Quia species visibiles neq; ultimò recipiuntur ab humore, ob diaphaneitatem, neq; in eodem dijudicantur.

XV.

An cerebrum sit nervorum principium? Neg. Quia cerebro læso ob ἔμφραξιν nihilominus motus animalis servari potest, certo argumento, spinalem medullam principium esse, quod egregiè etiam demonstravit Varoliana sectio.

XVI.

An venæ sectio ubiq; culpanda? Neg. Licet cum sanguine spiritus aliquantum difilentur,

B tamen

tamen recolligi poterunt, natura ubi ſibi reverſa, inprimis ab ipſa mole libera, quâ prius premebatur anxia.

XVII.

An in ſola plethora vena ſecanda? Neg. Quippe ſanguis non tantum peccat quantitate, ſed etiam motu: hinc ne feralia fiant ſymptomata, tundenda vena eſt: v. g. ſi ultra nimium menſtrua fluant, commoda venæ ſectio eſt in brachio ratione revulſionis.

XIIX.

An requiratur ut humor qualitate peccans & κακοχυμίαν faciens ſemper quantitate delinquat? Neg. Non obſtante quod κακοχυμία per redundantiam deſcribatur. Hoc enim propterea factum, quod humores κακοχυμίαν conſtituentes ut plurimum actu copioſi ſint, aut poteſtate ſaltem, qui facilè vicinos ſibi inquinant humores, & partes quibus inhærent, hinc congeſtio fieri poterit.

XIX.

An tumores, qui quidem ab humoribus oriuntur, fiant vel per modum ἀθροισμοῦ; vel per modum ῥευματισμοῦ? Aff. Utraq; ratione, frequentiori tamen per modum ῥευματισμοῦ: Cauſa congeſtionis eſt vel partis laborantis imbecillitas, quæ vel non ſufficit, ut alimentum in propriam mutetur

tur substantiam; vel impar ad expellenda è corpore excrementa: vel partis quædam vitiatio, quâ alimenta corrumpuntur. Fluxionis causa aut in parte mittente, aut in parte recipiente. Pars mittit, quia à calore aut acrimoniâ humoris irritatur: vel quia â copiâ ejus gravatur. Pars recipit, vel quia p. n. calet; vel quia vehementer dolet: vel quia insigniter laxa et debilis est.

XX.

An phlegmone eodem modo sumatur? Neg. Significat 1. Omnem calorem naturæ modum excedentem, etiam siccum sine materiæ affluxu. 2. Omnem tumorem calidum. 3. Omnem tumorem calidum cui competunt sex signa παθογνωμονικὰ, tumor, calor, dolor pulsatilis, tensio, renitentia, rubedo.

XXI.

An erysipelas tantum oriatur ab ipsa bile alimentariâ, quæ est calida, sicca, tenuis massæ sanguineæ portio, an etiam ab excrementitiâ? Aff. ab alimentaria frequentiùs, teste experientiâ.

XXII.

An cancer generetur ex melancholiâ naturali, quæ limus & fæx sanguinis est? Non verisimile:

mile: quia materia hæc eſt ſcirrhi: Materia cancri atra bilis eſt, quæ ſi ſit mitior, hoc eſt minus calida & acris, cancrum cæcum latentem ſive non ulceratum facit; ſi v. acrior, calidior, mordacior, cancer ulceratus gignitur.

XXIII.

Quæ cauſa, quod cancer frequens in mammis mulierum? Duplicem ſuſpicamur. Prima eſt ſubſtantia mammarum laxa mollis fungoſa & ſpongioſa, quæ materiam cancrum generantē facilè admittit. 2. Inſignis mammarum conſenſus cum utero. Itaq; niſi menſes per uterum probè expurgentur, fieri facilè poteſt, ut ſurſum ad mammas viam legant, ibiq; corrupti damnum inferant.

XXIV.

An lac Phtiſicis ſalutare? Aff. Corpus ſi purius fuerit, quia 1. ratione ſeroſæ ſubſtantiæ ulcus pulmonum abſtergit: 2. ratione ſubſtantiæ caſeoſæ conſolidat: 3. ratione ſubſtantiæ butyroſæ nutrit: 4. quia εὔχυμον εὔπεπτον καὶ πολύτροφον.

XXV.

An acidulæ proficuæ in renum calculo? Aff. Quia eadem pollent virtute aperiendi ac diuretica. Notandum diuretica & lithontri-

ptica

ptica prandentibus non exhibenda, neq; crebrius justo usurpanda: quia cum cibo sumpta, rapiunt incocta ad renes, atq; in via causæ fiunt obstructionum; si sæpius usurpentur, renes mirum quantum debilitantur, fiuntq; eorum usu publica corporis cloaca.

XXVI.

An omnis calor p. n. febris? Neg. sed is solum, qui 1. constans & permanens. 2. Qui universalis, & totum corpus pervadit. 3. qui à corde prodit, indeq; in totum corpus diffunditur. 4. qui non vitales tantum, sed & reliquas imprimis animales lædit.

XXVII.

An cor semper in febri affectum? Aff. Quia febris morbus universalis. Hinc utut aliæ incendantur partes, tamen nisi prius cor calefiat, febris esse nequit.

XXIIX.

An omnis putrida febris oriatur ab humorum putredine? Neg. Quia culpa etiam latere potest in viscerum putredine, v.g. pulmonum, renum, &c.

XXIX.

An in febribus periodicationis ratio sit manifesta? Neg. Quia sæpius observatæ manifestæ causæ, nunquam tamen notatis morborum

periodis. Statuimus itaq; causam occultam seu peculiarem putredinis proprietatem, quam alii ἰδιοσυγκρασίαν volunt.

XXX.

An sanguis in venis putrescere possit? Aff. Secta namq; venâ, in febribus synochis putridis, sanguis graveolet, & fibræ sic consumptæ, ut sanguis amplius non cohæreat, neq; concrescat.

XXXI.

An in febre continuâ periodicâ tota sanguinis massa putrescat? Neg. Sed alia in aliis: portio scilicet sanguinis biliosa in continuâ tertianâ: portio melancholica in continua quartanâ: portio phlegmatica in continua quotidianâ.

XXXII.

An sedes, in quam materia in intermittentibus paroxysmis excutitur, una? Neg. Sed variæ; jam ventriculus, unde vomitus: jam intestina, unde alvi dejectio: renes, undè lotium largum: corporis habitus, unde vel sudor, vel mador, vel διαπνοὴ copiosa.

XXXIII.

An focus materiæ febrilis in intermittentibus sit prima regio, in continuis primariis genus vasorum majorum inter alas & ingvina? Aff. Prima regio remotiùs cum corde communicat, unde calor intermittens: vasa contra majora cordi proximiora, & hinc continuus calor.

An

XXXIV.

An Luxationem maxillæ inferioris, nisi maturè restituatur, acerbi dolores, inflammatio, febris & interdum mors subsequi soleat? Aff. propter tendinem & nervos musculi temporalis violenter tensos.

XXXV.

An potiones vulnerariæ à quibusdam rectè culpentur? Neg. Saluberrimæ namq; sunt in ulceribus malignis, fistulosis & cancrosis, concretione sanguinis, collectione puris, fracturis, ut & herniis; sanguinem enim depurant, superfluas absorbent humiditates, insuper blandè adstringendo consolidant, atq; partes firmant ac roborant.

XXXVI.

An pyrius pulvis per se careat veneno? Aff. Conflatur ex sulphure & nitro, quorum ingredientium nullum venenatum; insuper foris ac intus impunè usurpatur: hauriunt illum pyrium pulverem tempore pestis cum aceto plurimi, eundemq; in domibus accendunt, ut pestiferum fugetur contagium.

XXVII.

An plumbum, ex quo glandes seu globuli tormentarii fiunt, venenum participet? Neg. Nam foris ad ulcera antiqua utiliter adhibentur. Et multi longo temporis intervallo globulos, displosione tormentorum sibi immissos, innoxiè in corpore circum-portant. Deglutiti sæpius absq; periculo per alvum ejecti.

XXXVIII.

An prava illa symptomata, ut partium putredo itemq; leipothymiæ, febres, cordis tremor, labrorum vulneris livor & nigredo, quæ ictibus sclopetorum

super-

ſuperveniunt, neceſſariò virus pulveris pyrii atq; glandium arguant? Neg. Alia namq; cauſa ſubeſt, ſcilicet diſſolutio, colliſio, contuſio & dilaniatio ſtructuræ partium vulneratarum, arteriarum inprimis, quæ facit, ut labris ἐπιῤῥοὴ ſanguinis ſpirituumq; vitalium à corde in partes læſas intercipiatur. Unde partes vitali calore deſtitutæ putreſcunt, gangrænâ tandemq; ſphacelo corripiuntur. Fit etiam ut putridis halitibus indè ſuſcitatis & ad cor ſimul miſſis, febres, cordis palpitatio, deliquia animi, viriumq; proſtratio ſequantur.

XXXIX.

An turundarum & penicillorum uſus rectè à Neotericis caſtigetur? Neg. Quia eorum maxima commoda in cavis ac profundis vulneribus. 1. eorum orificia ſervant aperta, ut excrementis via ſit exituris patula. 2. per turundas medicamenta vehuntur ad interiora & ad fundum, ut undiquaq; attingant ulcus & vulnus. 3. Cavent ne orificium externum prius claudatur, quàm interna ſint conſolidata.

XL.

An Barbitonſores rectè faciant, quod in vulneribus articulorum de re nulla magis ſint ſolliciti, quàm de ſiſtenda meliceria? Neg. Cohibita enim meliceria, nervi corrumpuntur, paralyſis, Spasmus, imò & gangræna Sphaceluſq; inducuntur.

